

§. XXV. Quis ergo has nuptias regales satis æstimet? Quis diuitias gloriae gratiae huius comprehendat? Vbi diues & pius hic sponsus Christus, ducit vxorem hanc pauperulam, & impiam meretriculam, *redimens* eam ab omnibus illius malis, & ornans omnibus suis bonis. Iam enim impossibile est, vt peccata sua eam perdant, quum super Christo posita sint, & in ipso absorpta, habeatque ipsa eam iustitiam in Christo sponso suo, de qua vt sua propria praesumat, & aduersus omnia peccata sua contra mortem & infernum possit cum fiducia illam opponere, & dicere: Si ego peccaui, at Christus meus non peccauit, *in quem* credo, cuius omnia mea sunt, & omnia mea illius, sicut in Canticis: Dilectus meus mihi, & ego illi, hoc est, quod Paulus dicit 1. Cor. XV. *Deo gratias quod dedit nobis victoriam per Iesum Christum, Dominum nostrum: Victoriam autem peccati & mortis. Sicut illic inducit, peccatum stimulus mortis est, virtus vero peccati lex.*

§. XXVI. Ex iis iterum intelligis, *qua causa* tantum tribuatur fidei, vt sola impleat Legem, & sine vllis operibus iustificet. Vides enim primum praeceptum, quo dicitur: *Vnum Deum coles*, sola fide impleri. *Si* enim etiam ipse aliud non esses a planta pedis ad verticem, quam bona opera; non tamen iustus esses, nec Deum coleres, nec *primum* praeceptum impleres, quum Deus coli non possit, nisi tribuatur ipsi veritas, & vniuersae bonitatis gloria, sicut vere tribuenda est. Hoc autem opera non faciunt, sed sola *fides cordis*. Non enim operando * sed credendo Deum glorificamus, & veracem confitemur. *Hoc nomine* fides sola est iustitia christiani hominis, & omnium praeceptorum plenitudo. Qui enim *primum* implet, cetera omnia facili opera implet.

* *Sensus genuinus huius oppositionis, peti etiam post §. XV. potest ex proxime sequenti §. XXVII. & XXXIX. XLVI. LVIII.*

§. XXVII. Opera vero, quum sint res insensatae, non possunt Deum glorificare, quamuis ad gloriam Dei (*si fides adsit*) fieri possint. Verum nos hoc temporis quaerimus non ea, quae fiunt, qualia sunt opera, sed eum, qui facit, qui glori-

rifi-